

mens

horheit

soll

M

10

15

17



Sammelband

00 101

12. 101

AD FAUTORES

Jurisprudentiæ atqve Hi-
storiæ

EPISTOLA

CHR. THOMASII.

J. C. Lips.

De novâ editione, quam parat,
Operum

FRANCISCI BALDUINI,

J. C. Atrebatii.



LIPSIÆ,

Apud Mauritium Georgium Weidmannum.

1689.



pru
gma
ce q
& c
nor
bis c
arbi
dem
nos
earu
bus
cuel
præ
VO
riæ
stud
VO
deri
per



Salvete, quotquot ex *Jurispru-*
dentiae & Historie Fautoribus
epistolam hanc meam accipie-
tis. VOS compello, qui Juris-
prudentiam non in Glossatoribus & Pra-
gmaticis atque simili Jurisperitorum fæ-
ce quæritis, sed ex Antiquitate Historica
& cognitione Græcorum atque Roma-
norum institutorum hauriendam esse vo-
bis certò persuasistis. VOS inquam, qui
arbitramini, scire leges non hoc esse, eas-
dem in numero habere, & verba earum
nosse, sed intelligere vim & potestatem
earundem, atque eandem ex ipsis fonti-
bus, unde petitæ sunt, aliis clarè & perspi-
cùè, atque non adhibito autoritatis alienæ
præjudicio ostendere & explicare posse.
VOS denique qui cum Juris studio Histo-
riæ universæ & Ecclesiasticæ præprimis
studium indefesso labore jungitis. Scio
VOS paucos esse. At pauci hi etiam desi-
derio meo satisfacere poterunt. Paro jam
per aliquod tempus *editionem operum omnium*

Francisci Balduini Atrebatii Jurisconsulti, cui sequens elogium posuit Scævola Sammarthanus: „Ille togato patre fisci patrono genitus, & iisdem artibus ac insuper eloquentiæ studiis eruditus in Jurisconsultum ætate nostra celeberrimum evasit, eoque celebriorem, quod obitus propè omnibus Galliæ Germaniæque gymnasiis, quam ex operū editione quæsi verat, absens eruditionis opinionem, præsentia sua non modò non minuebat, sed magis etiam adaugebat. Homo enim facundissimus ipsoque oris ac totius corporis habitu non injucundus ex historiarum & civilis disciplinæ conjunctione, singularem suis prælectionibus gratiam & Venerem afferebat. Et eum quidem sæpe vidimus hoc splendido summæ doctrinæ apparatu Lutetiæ profitentem, cum ad ejus auditorium permulti primæ notæ homines, episcopi, Senatores, equites libenter & maxima frequentia confluerent. Quorum postea commendatione, in Henrici Poloniæ Regis familiam & consilium ascitus, sperabat Serenissimum illum Principem ad capeffenda,

novi

novi Principatus insignia proficiscen-
tem comitari, cum ex rapida febre tres,
tantum & quinquaginta natus annos, in-
tempestive surreptus est. Habuit colle-
gas Egvinarium Baronem & Franciscum
Duarenum, Ei vero in Biturigum Acade-
mia successit Cujacius, Franciscus autem
Hotomannus, si recte memini eo praece-
ptore usus fuit. Caeterum duarum ma-
ximarum scientiarum apices summos
complexus est, Juris Civilis & Historiae;
Dicere enim solebat, & scripto edito, ut po-
steritas exaudire posset, professus est: Hi-
storiam cum Jurisprudencia conjungi co-
portere: hanc sine illa caecam videri. Et
profecto singula ejus scripta satis osten-
dunt a nemine feliciter conjunctionem
istam tentatam fuisse, quam ab ipso Baldui-
no, ut adeo mirari satis nequeam, qui fa-
ctum sit, ut, cum eadem omnigena erudi-
tione sint referta ac abundant, ita ut Dua-
renus Cujacius, Hotomannus, at quanta
nomina! nostro nequaquam hac parte
preferri mereantur; qui factum sit in-
quam, ut illorum opera ubi vis prostant,
de Balduini operum editione nemo olim

cogitaverit; nam de præfenti Seculo non miror, ut quod magnam partem ferè unice titulo de glande legenda ex Sylvis Accursii, Bartoli, Baldi, atq̄ve similiū incumbit, eosque in succum, quod ajunt, & sanguinem convertere satagit: Factum inde ut Balduini scripta rarius compareant, & in bibliothecis paucorum Eruditorum latent. Quod cum jam ab aliquot annis observaverim, cœpi de editione operum nostri Balduini esse sollicitus, eaque in re à *Patronis* quibusdam & verbis & opera fui confirmatus, offerentibus videlicet liberaliter, quæ in Bibliothecis suis de scriptis Balduini possiderent. Sed dum catalogos Bibliothecæ Thuanæ & Heinſianæ percurro, & de ipso indice operum Balduini sum sollicitus, deprehendo deesse mihi adhuc non pauca, sine quibus justam operam horum editionem adornare vix valerem. Et putavi adeò istos defectus me non commodius suppleturū esse, quàm si *Vos, Fautores Jurisprudentiæ & Historiæ*, publicè alloquerer, sperans fore, ut ex *Vestro* ordine, qui hac parte egregium publicum operâ suâ & consilio promovere
me-

meo
fint
stro
pta
cop
reo
præ
am
acc
hor
tiola

P

prim
terp

4.

Pa

At

na

in

ta

I

de C

J. C

bell

J. C

J. C

mecum possint, mihi suppetias ferre non sint defuturi. Ut vero sciatis, quæ in re *Vestro* auxilio habeam opus, paucis ea scripta Balduini commemorabo, quorum jam copia mihi facta est, tum quibus adhuc careo, ac denique quid in editione operum præstare velim. De singulis mentem meam exponam perspicuè, at nec ornate nec accuratiore ordine observato, utpote cum horum neutrum festinatio & alia negotiola jam permittant.

I.

Primum quod ex Scriptis Balduini, quæ possideo, aperio sunt *Justiniani leges de re rustica*. Item *Ejusdem Justiniani Novella Constitutio prima de Heredibus & Lege Falcidia cum latina interpretatione & Scholiis Balduini Lovanii 1542. in 1544.* In fine hæc verba sunt adjuncta. Hæc Lutetiae Parifiorum commentabatur Franciscus Balduinus Atrebatius: An. ætatis suæ vigesimo à Christo vero nato: millesimo quingentesimo quadragesimo, intereà dum ætas maturior majori alicui commutationi par fiat.

II. *Ad Edicta Veterum Principum Romanorum de Christianis ex Commentariis Francisci Balduini J. C. Basilea per Johannem Oporinum in 8.* Hunc libellum dedicavit Balduinus Caspari à Nydprug J. C. & Senatori Regio, & ibidem meminuit, quod

A 4

præ

præcedenti anno ediderit Constantinum, quodque in manibus habeat *Theodosii* delineationem, Regi Maximiliano offerendam. In præfatione commendat *JCtis* studium historiæ Ecclesiasticæ. Continet hic tractatus commentationes ad Epistolam Plinii ad Trajanum & rescriptum Trajani; ad rescriptum Adriani ad Minutium Fundanum ex Eusebio; ad rescriptum ejusd. ad Servianum Consulem ex Vopisco; ad rescripta Antonini, Galieni, Galerii & Maximini ex Eusebio.

III. *Ejusd. Balduini Commentarii de pignoribus & hypothecis: De Conditionibus: ad Paulum de divisione stipulationum. Ad eundem de cautione lectâ in auditorio Papiniani. Ad Papinianum de Evictione & duple stipulatione: ad regulam Catonianam. Cum rerum & verborum indice copioso. Basileæ per Job. Oporinum in 8.*

IV. *Fr. Balduinus ad leges de Jure Civili, Voconianam, Falcidiam, Juliam Papiam Poppæam, Rhodiam, Aquiliam. Basil. per Job. Oporinum anno 1559. in 8.* Omissa hic est in titulo *Lex Julia de Vicesima* quam noster p. 176. tractatus hujus exponit. In præfatione commendat studiosis Juris studium Historicum, & memorat, quod illo anno extraordinariâ prælectione historiæ universæ memoriam explicuerit, additque: Si opus illud corpusque Universæ historiæ, quod jam utcunque informavi, pertexere aliquando possim, & ut possim, tam mihi vitæ ocii- que datum fuerit, nihil in studiis amplius opto. Pro- mittit simul novam editionem *commentarii ad LL. XII. Tabb.* citat *Mutios Scævolas* suos, meminit *commentarii*

tarii ad Institutiones, quem ante 15. annos juvenis scripserit, dicitque multa in eo sibi jam displicere.

V. *Disputationes duæ de Jure Civili ex Papiniano Fr. Balduini. Heidelbergæ per Ludovicũ Lucium 1561. 8.* Præmittitur discursus fusior de vita Papiniani. Disputatio prior agit de quibusdam mysteriis juris testamentarii, inque eâ 16. capitula ex Papiniano illustrantur, posterior respicit octo capitula Papiniani ad L. Jul. Majest.

VI. *Juris Civilis Catechesis ex Francisci Balduini J.C. prælectionibus. Basileæ per Job. Oporinum in 8.* In præfixa Epistola ad studiosam Juventutem meminit *annotationum ad Institutiones ante annos 13.* editarum earumque novam editionem promittit. Exponit etiam methodum quâ communiter in docendo usus fuit, ac optat ocium, ut *Jurisprudentiam Ciceronianam* colligere possit, eamque in locos communes congerere. Tractatus ipse continet succinctas Juris institutiones, capitibus omninò quinque de justitia & jure, de jure personarum, de rebus, de obligationibus, de actionibus & judiciis absolutas.

VII. *Fr. Balduini commentarius de Jurisprudentia Muciana. Basil. per Job. Oporinum anno 1558. in 8.* Citari communiter solet hic libellus sub titulo: *Balduini Scævola.* Exponit enim in his commentariis fragmenta ex libris Muciorum Scævolarum.

VIII. *Fr. Balduini Commentarii de Legibus XII. Tabb. tertia sed planè nova Editio. Basileæ per Job. Oporinum in 8. 1557.* In præfatione hæc verba le-

guntur: Licet interciderint plurima veterum mo-
numenta, tamen ex iis quæ supersunt Juris Roma-
ni à Justiniano prætermitti alteræ veluti Pandectæ
colligi possent, & verò operæ pretium esset, eas ali-
quando colligi. Puerile est de LL. Romanis libel-
los inscribere, qui non nisi quædam eorum nomi-
na obiter indicent (*videtur his verbis notare Hoto-*
manni libellum de Legibus Romanis) neque tamen
sunt ea principia contemnenda. Sed ea res profe-
cto alios commentarios desiderat. Ego ante an-
nos octo, cum hisce duodecim Tabulis operam
primum darem simul edidi *meum de Juris Roma-*
ni singularumq; ejus partium nova consideratione
consilium, quo & ad earum historiam cognoscen-
dam atque undique repetendam Studiosos Juris
Civilis sum cohortatus. Unde patet in hac tertia
editione quædam fuisse immutata, cum istud consi-
lium hic non fuerit additum. Cæterum tractatio præ-
sens constat 49. capitibus.

IX. *Fr. Balduini Notæ ad lib. 1. & 2. Digestorum
seu Pandectarum. Basl. per Job. Oporinum in 8.*
Continet hic tractatus notas breves & succinctas
ad leges plures, non tamen omnes, in quibus pro-
more, antiquitatem ex antiquitate explicat Baldui-
nus.

X. *Ejusdem breves commentarii in precipuas Ju-*
stiniani Imperatoris Novellas, sive authenticas consti-
tutiones. Idem ad Edictum Edictum. Lugd. apud
Seb. Gryphium 1548. in 4. Prior liber inscriptus est
Francisco Duareno: posterior Æmylio Ferreto &
fate-

fatetur in dedicatione Balduinus, se in commentatione ad *Ædilitium Edictum* nonnulla ex Ferreti Cornelio Celso descripsisse.

XI. *Juris Civilis Schola Argentinensis per Fr. Balduinum Argent. 1555.* Est Oratio Balduini de Jurisprudencia Romana ejusque Libris & Studiis, habita cum cooptaretur in Collegium Scholæ Argentinensis.

XII. *Ej. Constantinus M. sive de Constantini Imperatoris legibus Ecclesiasticis atque civilibus Commentariorum libri duo. Nunc denuò editi Cura Joachimi Cluten de Parchun Megapolitani Sc. Argent. impens. Pauli Ledertz 1612. in 8.* Præmisit editor huic editioni Scævola Sammarthani & Miræi Elogia de Balduino, & in allocutione ad Lectorem ita monet: Multas Antonius Contius Jctus alias celeberrimus calumnias in Fr. Balduinum & hosce Commentarios evomuit *lib. 2. lect. subsec. c. 20.* quæ etsi potius reprehensione quàm refutatione dignæ Apologiam tamen pro Balduino nostro in *libris meis Racemationum* utriusque juris, qui propediem lucem videbunt, invenies. Et fateor acerba satis esse illa quæ Contius d. l. contra Balduinum differit, quamvis nomen ejus non exprimat. Rubrica dissertationis istius *p. m. 234.* sic se habet: *A. Contii admonitio de falsis Constantini legibus ad quendam, qui se hoc tempore Jctum Christianum profiteatur.* Neque solum ibi stricturas protulit in Balduini *Constantinum*, sed & in ejus *notas ad leges XII. Tabb. Qvin & de Theodosio* Balduini quædam memorat

„morat *p. m.* 253. Habes, ait, admonitionem homi-
 „nis, plus, quam fortassis putes de te solliciti, quam
 „si ut spero, legeris, licebit Tibi levi & facili Pseu-
 „do Constantini tui jactura cæteros tuos ejusdem
 „farinæ libros, & maximè Theodosium illum,
 „quem jam hoc tuo libro ostentas, quam minimo
 „tuo damno redimere ab hac falsi noxa vel suppri-
 „mendo, vel ex his, quæ præmissi, similibusque ad-
 „miniculis detergendo atque emendando. Hacten-
 „nus autem scire mihi non licuit, an Clutenii istæ ra-
 „cemationes publicam lucem adspexerint.

XIII. *Ejusdem Justinianus, sive de jure novo Com-
 mentariorum libri 4. apud Jacobum Chouet 1596. in 8.*
 Meminit hic in præfatione Balduinus *Constantini*
 sui, & simul talia profert unde conjicere possis Theo-
 dosium ab ipso non fuisse editum. Verba sunt hæc:
 „Tandem vero Constantinus, qui Diocletiano suc-
 „cessit, ut imperii sedem faciemque immutavit, ne-
 „que Reip. solum, sed & ipsius in Rep. religionis
 „aliam esse novamque formam jussit: Sic etiam jus
 „vetus non publicum modo, sed & privatum immu-
 „tare, novumque informare, neque tam consulto-
 „ribus privatim de jure respondere, quam novas in
 „universum leges ferre cœpit. Quod & deinde ma-
 „gis atque magis fecerunt successores, & maxime
 „Theodosii duo. Postremò vero Justinianus vix
 „quicquam prætermisisse videtur, quod ad Juris
 „novi descriptionem, quæ abs Constantino fuerat
 „ante ducentos annos inchoata, pertineret. Operæ
 „pretium quidem jam fuerit, Constantinianas &
 Theo-

” Theodosianas leges, quæ hujus (ut ita dicam) no-
 ” vationis & fundamenta jecerunt, & exemplum de-
 ” derunt, suo ordine in primis considerare. Verum
 ” cum eæ sint inclusæ in integro illo Codice Theo-
 ” dos. cujus editionem expectamus: Facio interea
 ” non invitus, ut ad Justinianum nostrum transeam.
 ” Equidem superioribus annis Constantinum ali-
 ” quem dedi, qualem eo tempore in media jactatio-
 ” ne meæ peregrinationis informare poteram, mul-
 ” tis aliis curis distractus. Sed meliorem magisque
 ” integrum dare cum licebit, altera editione non esse
 ” mihi interdictum puto. Audio quendam non tam
 ” jejunum quam aridum Censorem (quem nimium
 ” mihi familiariter notum, honoris causa non nomi-
 ” no: quia tam est qui nominetur indignus, quam
 ” ambitiosè cupit nominari) maledicas & malitio-
 ” sas nescio quas notas jam effudisse, & ne secun-
 ” da editio hanc illi scilicet gloriam præriperet,
 ” præcipiti quadam nequitia anteveruisse, ma-
 ” lo profectò more, exemplo malo & illiberali. Sed
 ” hujus viperæ sibilos nihil moror: neque ingrati
 ” hominis impura petulantia, alios intemperanter
 ” laceffendo atque lancinando, efficiet, quin perse-
 ” quar quod institui. Ultima hæc verba haud du-
 ” biè respiciunt Antonium Contium, cui adeò, quod
 ” miror, noster non respondit, & probabiliter adeò
 ” post Constantinum nihil de Theodosio in scriptis
 ” emisit. Nam aliàs mentio invectivarum Contij non
 ” ad hunc locum fuisset dilata; in contrarium tamen
 ” facile quis inclinare posset, qui perpendit verba
 ” qui-

quibus Balduinus tractatum suum de Justiniano au-
 spicatur; Tres ego Principes magnos, quibus
 imperantibus maximæ & in Rep. Christiana res
 gestæ sunt, & rerum conversiones in orbe Rom.
 extiterunt, in primis observare soleo, cum Chri-
 stianorum Principum veterem memoriâ histo-
 riamque expono: Constantinum, Theodosium,
 Justinianum De duobus autem prioribus cum
 aliàs dictum sit, nunc mihi dicendum est de
 tertio, qui postremus est, Cæterum in Præfatio-
 ne Balduinus de cura Justiniani circa emen-
 dationem juris differit, & ita differit, ut simul faci-
 nora Triboniani & solvecismos summatim indicet.
 In ipso vero tractatu monet, se aliàs in ejusmodi
 historiis persequendis solere distinguere quid domi-
 quid foris gestum præclare sit, & ad tria potissimum
 capita historiam revocare, ad res civiles, Ecclesiasti-
 cas & militares; in Justiniano tamen se velle tantum
 primam partem suscipere quæ ad Jurisprudentiæ
 causam pertineat, & adeò Justinianum solum descri-
 bere in foro togatum, Jurisconsultum Legislato-
 rem. *Primus* liber agit de præcipuis Constitutionibus
 Justiniani ante editionem primi Codicis promul-
 gatis ipsique adeò postea inclusis. *Libro Secundo* re-
 censet Constitutiones post editionem primi Codicis
 usque ad mandatum Justiniani de colligendis &
 concipiendis Pandectis, quod ut fusius exponeret
 atque ostenderet, quænam in eo fuerit Justi-
 niani intentio, ac quomodo eidem satisfecerint
 Compilatores integra prolegomena, quæ
 notis

notis ad lib. 1 & 2. ff. supra n. 9. jam memoratis præfixa sunt, huic libro Secundo à p. 187. inseruit. *Tertius* liber memorat Constitutiones, interea dum Pandectæ colligerentur, emissas; *Quartus* vero de confectione Institutionum, Constitutionibus post Pandectarum publicationem emissis, editione Codicis repetitæ prælectionis, atque Novellis, institutum Justiniani summatim explicat, atque ex Novellis primam, quartam, decimam octavam, & 118. fufius exponit. Et sic quidem ut multò perspicuioribus sint hæ, quatuor istarum Novellarum, interpretationes, quam illæ, quæ continentur in Commentariis Nostri ad Novellas n. 10. recensitas. Unde illarum editionem arbitror esse antiquiorem Justiniano huic. Illud non omittendum, quod p. 386. Baldauus alterius cuiusdam adversarii mentionem injiciat: Ante annos 20. inquit, cum ego adhuc propè puer, quasdam annotationes ad hanc Novellam primam ederem (*vide supra n. 1.*) admonui, intolerabilem esse errorem veteris interpretis, qui vertit, eum per hanc legem Legitima parte esse exclusum. Neque unquam putavi fore quenquam, qui vel tale peccatum etiam excusare, vel ut probè ac rectè factum laudare vellet. At qui audio nuper quendam, mihi quondam familiarem, editis etiam Annotationibus contendere, nullam in eo interpretis illius esse culpam, qui non verba, sed sententiam sit secutus. Ita autem in toto hoc libro versatur Balduinus, ut debito Constitutionum Justinianearum ordine observato clarissimè ostendat, quo initio & quo successu

cessu in singulis constitutionibus Imperator Jus antiquum & alterationes veterum abrogare atque tollere instituerit, ubi semper rationes juris antiqui cum rationibus novi Juris Justiniani confert, & ubique Triboniani torporem, antiquum jus & dissensiones Juris Pandectis innumeris vicibus inferentis, ad oculum demonstrat. Dignissimus adeo est hic Balduini libellus, qui vel solus titulum historiae Juris Justiniani mereatur, quique non a Studiosis saltem, post auditas institutiones diligenter evolvatur, sed & ab admiratoribus ineptae diligentiae Tribonianae & antinomiarum conciliatoribus leguleiis serio expendatur.

XIV. *Ej. in suas annotationes in libros IV. Institutionum Justiniani Imperatoris προλεγόμενα sive de jure Civili praefata. Quae continent novam & eruditam plenamque de tota legum Romanarum ratione Commentationem, nec vulgarem historiam ac de solida puriorique Jurisprudencia sanum judicium. Parisiis 1545. in 4.* Edidit haec prolegomena Balduinus ut ex dedicatione videre est, antequam annotationes suas ad Institutiones publicaret. Ut vero praecedens Balduini tractatus Historiam Juris Justiniani fusius pertractat, ita haec prolegomena, eleganter & philosophice historiam totius Juris Romani exhibent. Postquam enim Balduinus de necessitate legum quaedam disseruisset, aequitatem singularem Legum Romanarum ac praestantiam praegræcorum legibus demonstrare satagit, atque comparationem cum legibus Mosaicis forensibus

pro-

prolixiorē instituit. Tum ad incrementa politica & militaria Imperii Romani ad Justinianum usque progreditur, & postea Historiam Juris Romani ab Urbe condita oriens, luculentā brevitate prima principia legum Romanarum, earumque progressum, Jurisprudentiam mediam, incrementa sub Imperatoribus à Julio Casare continua serie ad Justinianum edisserit. Juris Justiniani historia quidem plenior est in Justiniano Balduini: Sed & hic tamen deprehenduntur multa notabilia de nœvis librorum Juris & vel exemplo tituli de V. O. declarat Noster, quam ineptè leges sub titulis ordinatæ fuerint à Compilatoribus. Porro ostendit Balduinus quæ post mortem Justiniani Juris tam in oriente quam occidente fuerit conditio, ac quomodo reforescere inceperit in Italia Jus Justinianeum, quæque ejus fata fuerint sub antiquis Glossatoribus. Inde ad historiam juris Canonici se transfert, atque eâ breviter enarrata de restituta Juris Civilis lectione per Politianum, Bologninum, Alciatum, Antonium Augustinum, maximè vero per Haloandrum tractat, quoad enarrationem vero justam doctrinarum Juris Alciatum præprimis, Forcatulum, Carolum Molinæum aliòsque commendat, ac Principes ut à belli studiis ad emendandam Jurisprudentiam & tollendos Juris diffensus se convertant, adhortatur. Denique de Commentatoribus quibusdam Institutionum illius temporis judicium fert intentionem suorum commentariorum exponit, consilium dat de studio juris rectè formando,

B

atque

atque de neglectis moribus veterum Jctorum graviter conqueritur.

XV. *Justiniani Institutiones, magna diligentia & fide illustratae justis annotationibus per Franciscum Balduinum Jctum. Adjecta sunt breviora ejusdem prolegomena de Jure Civili Parisiis 1546. in folio.* Editione harum annotationum Balduinus fidem in prolegomenis modo memoratis datam exsolvere voluit. Prolegomena vero hisce Annotationibus præmissa, ut titulus ostendit, vix duodecimam partem priorum adæquant, sed saltem excerpta quædam pauca ex istis Jus Justinianeum potissimum concernentia continent. Ipsæ annotationes breves sunt ac eruditæ mentem Imperatoris vel ex fontibus, unde haustæ institutiones, vel ex locis parallelis Jctorum vel ex Græcis Scriptoribus, uno verbo ex genuina antiquitate historica illustrantes. Non quæstiones otiosæ, barbaræ, aut subtiliores Pandectis reservandæ, hic occurrunt, ut profecto pudeat, si hunc librum cum multorum commentationibus nostri seculi conferam. Et tamen ipsi Balduino postea labores hi, ut jam supra memoravimus, non adeo placuerunt, sed de nova ac emendatiori editione fuit sollicitus. Ac nactus sum Codicem alium istius emendationis cui titulus. *Francisci Balduini in 4. libros institutionum Juris Civilis Commentarii recogniti & illustrati Summariis, Græcorumque interpretatione locupletati, studio & opera Henrici Petrei Herdesiani. Accesserunt ejusdem Balduini ad Leges Romuli & leges XII. Tabularum libri duo, quibus fontes*

fontes Juris Civilis explicantur &c. Lugd. 1583. In hac editione multa aliter posita deprehendo, quam tradita fuerant in editione memorata Parisiensi. Speciminis loco saltem ea quæ in primo titulo observavi addam. In protheoria ad titulum de justitia & jure differit de proportione Geometrica & Arithmetica in justitia distributiva & commutativa observandis. Atque hic nonnulla quæ in edit. Parisiensi p. 13. habentur omisit Ed. Lugd. p. 12. præprimis verba finalia: *Hæc obiter præstare volui, ut intelligeremus Aristotelis sententiam, qui acutè proponit vim, rationem, usumque civilis justitiæ.* In notis ad princip. Inst. d. t. Ed. Lugd. n. 1. & 2. novem lineæ sunt additæ de significatione voluntatis in definitione Justitiæ, qui in primâ editione desunt à verbis: *Sicuti Aristoteles, ad verba: simul describerent* Similiter in n. 5. p. 13. ista verba sunt addita: *Si quis Græcos conjungere velit, unus Aristoteles in Ethicis multorum loco esse potest. Sed & lib. 1. Rhetor. describit justitiam esse virtutem, propter quam singulares suas habent & ut lex præcipit.* Ibid. n. 13. 14. 15. lineæ 13. sunt adjectæ de factò Cyri longiorem vestem grandiori puero adjudicantis & definitione Justitiæ Platonice. P. 14. n. 16. novus locus ex l. 1. officiorum Ciceronis conspicitur. Ead. p. n. 22. additum est: *Et clarissimi quique Jcti aut Pontifices erant aut Augures. Si quis de Romanorum sacris veteribus & divinis ejus generis rebus plura requirat, extant Copiosissimi Commentarii Liliæ Gregorii.* Rursus quæ in editione Parisiensi p. 17. extant lineæ

15. de dicto Arcefilæ & de methodo tradendi institutiones à verbis; *Huc pertinet quod Arcefilas, ad verba: unoquoque tenore defungi, omiſſa ſunt in editione Lugd. & loco eorum in fine p. 12. ſcriptum reperitur: Sunt tamen qui aliam magis probent rationem & methodum in ſtudiis juris civilis, nempe ut incipiamus ab ipsis hypothefibus, quæ nobis ſunt familiares, deinde ſenſim progrediamur ad ſummas theſes & prima illa capita ſecretioris philoſophiæ.* P. 15. Ed. L. n. 1. additus eſt novus locus ex Ariſtotele & Ariani Epicteto, iterum p. 16. n. 3. in fine deſunt quæ leguntur p. 18. in fin. Ed. P. de caligine intellectus humani circa res morales, ubi ad hypothefin perventum eſt, & in n. 4. prope finem de eſt locus Flacci & ſententia Academicorum ac Zenonis Stoici de natura boni: At in n. 6. addita ſunt quædam de honeſtate in verbis obſervanda ex legibus Romuli & Ulpiani. Denique in fine n. 9. p. 16. deſunt quæ exhibet Ed. P. p. 20. de modico uſu libri 1. Pandect. & trium poſtremorum librorum Codicis. Ex his facile patet, quales mutationes ac emendationes in poſteriori editione Institutionum ſua adhibuerit Balduinus. Neque enim arbitror, Herdeſianum hic aliquid innovaſſe, qui ſolum in dedicatione & titulo proſitetur, ſummaria & interpretationes Græcorum ac Indicem adjeciſſe. Atque de Indice & Summariis nihil eſt quod moneam. At quod interpretationem Græcorum concernit, quæ multa hic ut & in aliis Balduini libris conſpiciuntur, nescio quo pudore Herdeſianus Lectorem in titulo deceperit,

perit, cum vix quarta pars ex locis Græcis à Balduino adhibitis interpretationem adjunctam habeat. Addidit quidem in dedicatione Herdesianus declarationem aliquam: Itaque, ait, rem non tam difficilem, quam parum insignem aggressus sum. Commentariorum igitur istorum tum mendas (quæ ab ipso partim autore notatæ erant, partim non animadvertæ resederant) sustuli, tum Græca, ubi opus esse videbatur, qualicunque explanavi interpretatione; Non omnes autem dictiones & versus sive locos Græcos transferri opus fuit, nam sententiam eorum autor ipse nonnunquam expressit & quædam ornatus causa magis quam necessitatis inserta, eorum tantummodo lectioni qui Græce docti sunt relinquenda videntur, quæ est illud de Diogitone, pupillis reddituro *non χρῆμα-
τα sed γέματα*. Non enim felicius hoc quisquam opinor, latinè vertet, quam illud Latinum Germanice; *Surdaster erat &, quod pejus male audiebat*. Sed profecto nescio an hac declaratione non magis illuserit Lectori quam ut eis pro sua excusatione uti possit. Quid enim? Græca interpretatus est, ubi videbatur opus? Cur vero non interpretatus est insignem Isocratis locum p. 13. n. 13. locum Chrysoctomi p. 15. 16. locum Dionysii Halicarnassæi p. 22. 23. Polybii p. 23. Thucydidis & Isocratis p. 31. Demosthenis p. 499. 642. & infinita alia. Ita versatus est evidentissimè Herdesianus. Græca quæ duobus vel tribus verbis constant, & quæ pueri scholarum trivialium intelligunt, latine interpretatus est:

Loca vero quæ tres lineas excedunt, quævalia frequenter apud Balduinum occurrunt, ferè nunquam; etiam si ex autoribus sint desumpta, quorum versiones sunt ubivis obviæ, ut Isocratis. Sed transeant ista, cum de altera accessione quâ editio hæc Herdesiani locupletata est, jam & quædam dicenda sint, de commentatione videlicet Balduini ad Leges Romuli, & leges XII. Tabb.

XVI. *Francisci Balduini JC. Libri duo in Leges Romuli & leges XII. Tabularum, quibus fontes Juris Civilis explicantur ab ipso autore denuo recogniti & multo locupletiores facti Paris. 1554.* Et hos libros editioni suæ institutionum, ut dixi, addidit Herdesianus, eosque summaris ornavit ac interpretatione Græcorum verborum, meliori quidem fide quam in Pandectis factam fuerat, non tamen omnimoda. Cæterum quod commentationem ad leges Romuli concernit, videtur Balduinus & ad leges Reliquorum Regum commentasse, dum librum alterum ad Leges XII. Tabb, ita incepit; *Dictum est libro superiori de Romuli aliorumque Regum Romanorum legibus.* Et alibi inscriptis suis sæpius provocat ad ea quæ alias dixerit ad leges Regias. Cæterum in ipsa commentatione ad leges Romuli nihil ea de re traditur, nisi quod in capite ultimo circa finem duobus saltem verbis mentionem injiciat, & alios Reges præter Romulum leges edidisse, ac autores quosdam qui earum mentionem faciunt nominet. Ac miror profectò quod nec legem quidem de non sepelienda gravida nisi exciso partu, quæ communiter

Nu-

Numæ Pompilio adscribitur, saltem uno verbo memoret. Quod vero commentarium ad leges XII. Tabularum attinet, sanè editio præfens, quam retinuit etiam Herdesianus, toto cœlo differt ab altera editione, quam supra n. 8. recensuimus. Præfens 63. leges ex XII. Tabb. initio tractatus enumerat, easq; singulas postea singulis capitibus exponit. At superior minus ordinata videtur, & solum 49. capita continet. Quid quod ita discrepant editiones istæ, ut, nisi Balduini nomen utriqve præmissum esset, arbitrari quis posset à diversis autoribus easdem fuisse conscriptas. Quare facile putare posses editionem Herdesiani esse emendationem superiori, cum Herdesianus suam editionem diu post mortem Balduini adornaverit. Nihilominus tamen etiam non probabile est posteriorem editionem quam Balduinus curaverat esse corruptiorem antiquiori. Præfens, quam Herdesianus secutus est, anno 54. fuit edita. At de qua superius diximus & anno 57. prodiit, & in titulo tertia ac planè nova vocatur. Accedit, quod, dum utramqve harum editionum oculo fugitivo perlustro, deprehendo, longe accuratius differere in tertia Balduinum, quam in Herdesiana. In hac enim, ut aliquot exempla addam, legem Solonis, quæ refertur *in l. fin. ff. Fin. Reg.* putat etiam in Leg. XII. Tabb. extitisse, deceptus ex eo, quod Gajus in commentario ad Leges XII. eandem memoret; & ista duo capita ut distincta profert: *Uti quisque legasset rei suæ ita jus esto: ac alterum: Paterfamilias uti legasset super Tutela sua, ita jus esto,*

esto, quorum utrumque in tertia editione emendavit. Neque amplius de præstantia tertiæ editionis me dubitare sinunt ea quæ in Contii lect. subsec. lego. Dum enim, ut supra dixi, Constantinum Balduini stringit, notat simul quosdam defectus commentationis ad Leges XII. Tabb. quos omnes in editione Herdesiana deprehendo, correctos in illa tertia. Unde non mirari satis possum negligentiam Herdesiani. Interim nescio an Balduino etiam cum illo controversia intercesserit, cujus meminit p. 249. „edit. Tertiæ. In colligendis ait XII. Tabb. fragmentis, quæ usquam supersunt, nulla esse nimia „diligentia potest. Sed ne nimium præceps & con- „fidens ea sit, videndum est. Effet enim hæc temeritas multorum errorum causa. Quidam nuper „mo alioqui non ineruditus, cum forte legisset apud „Nonium Marcellum hæc Ciceronis ex Hortensio „verba: *itaque tibi concedo, quod in XII. scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet*: statim cogitavit, in XII. Tabulis aliquid fuisse de errore calculi, de quo extant in libris juris „Civilis non ignobiles leges. Sed hæc conjectura quid habet rationis? Saltem illud prius videndum erat, num usquam XII. scripta dicantur XII. „Tabulæ. Putabam initio his verbis à Balduino notari Contium. Sed in Contio nihil quod huc spectaret deprehendere potui.

XVII. Fr. Balduini de institutione Historiæ universæ & ejus cum Jurisprudentiæ conjunctione *ωεγλεγομένων libri II. Curâ Joachimi Cluten. Argent. 1608.*

1608. in 12. Utilissimum hoc opusculum etiam cum aliis ejus generis conjunctim editum habeo sub titulo: *Artis historicae penus octodecim scriptorum tam veterum, quam recentiorum monumentis, & inter eos Job. præcipue Bodini libris Methodi historicae sex instructa. Basil. 1579. in 8.*

XVIII. *Fr. Balduini Jcti Relatio ad Henricum Andium Ducem Magnum. Latini Pacati Panegyricus ad Theodosium. A. Eumenii oratio de Scholis. Ejusdem Balduini annotationes in utramque orationem. Ejusdem Explicatio l. si pacto. C. de pactis. Paris. 1570. in 4.* In relatione Balduinus ea proponit, quæ faciunt ad intelligendam historiam Panegyrici Pacati & Orationis Eumenii. In commentatione ad l. si pacto. explicat, quomodo pœna conventionalis exigi possit, prout pœnales conventiones vel nudæ sunt, vel contractibus insunt, vel stipulatione firmantur.

XIX. XX. *De Legatione Polonica Oratio Franc. Balduini ad Cl. V. Job. Sarium Zamoscium Legatum Polonum. Ej. ad Academiam Cracoviensem disputatio de questione olim agitata in Auditorio Papiniani. Paris. 1573. in 4.* Mittebatur Anno 73. Legatio Polonica in Galliam ut nunciaret: Henricum Andium Ducem in Regem Poloniae esse electum. Destinabatur à Rege noviter electo Balduinus instaurandæ Academiæ Cracoviensi, nisi mors eum prævenisset, quippe mox eodem anno noster vita defunctus est. In priori itaque scripto maximis præconiis legationem istam extollit; in posteriori explicationem legis difficillimæ quasi præ-

mittere Cracoviam intendit. Confer omnino Thuanum *Histor. lib. 57. f. m. 966.* Lansium *in Oratione pro Polonia. p. m. 598.* Recensuimus eqvidem etiam superius n. 3. aliam enarrationem d. J. lecta, à Balduino elaboratam. Sed præfens fusior est & curatius elaborata, & in hujus initio memorat noster, se ante 26. annos etiamnum adolescentem & minorem annis in Schola Biturigum, cum ibi Jus Civile docere inciperet, exorsum esse ab interpretatione dictæ legis, ubi haud dubiè ad istam prius notatam expositionem respicit.

XXI. *Prolegomena Francisci Balduini JC. in M. Minucii Felicis Octavium.* Deprehendo hæc prolegomena in nova editione Minutii Felicis cum notis variorum ex recensione Jacobi Ouzelii Lugd. B. 1672. Quid præstiterit in his prolegomenis Balduinus verbis Ouzelii ex Præfatione ad Lectorem defumtis enarrabo. Octavius non jam solum parente suo orbatus, sed & nomine, octavus passim audiebat Arnobii liber. Sic peragrabat orbem, sic à doctis citabatur, laudabatur. Donec tandem reperiretur, qui eum, & genuino pristinoque suo nomini, & Auctori restitueret. Is fuit doctissimus, ac suo seculo Juris Civilis peritissimus Franciscus Balduinus, qui anno reparatæ salutis clō 1616, Heidelbergæ dialogum hunc divulgans, doctissimam adjecit præfationem, quâ invictissimis ex Laurentio ac Hieronymo petitis argumentis, Octavii, genuiniquæ ejus parentis, nomen strenuè vindicavit. Hanc tuo commodo, Lector, simul hic edendam

dam curavimus; interest enim Reipubl. literariae,
 hujusmodi eruditissimorum hominum foetus ne
 interciant. Eodem ferè tempore id ipsum subo-
 luit etiam Hadriano Junio, Viro non minus per-
 spicaci, & exacto judicio, quam omnis generis eru-
 ditione claro. Horum tamen nominibus dissimu-
 latis Fulvius Ursinus, annis plus triginta post, ex
 Petri Ciacconii scidis novam Arnobii moliens
 editionem, sibi totam hanc judicandi provinciam
 arripuit; quasi ipse princeps Minucii simul ac
 ejus fetus vindex foret, quod malo more ac inanis
 gloriae affectatione ab eo factum. Equidem Lud.
 Carrio. Emend. lib. 2. cap. 18. Thes. Grut. Tom. III.
 p. 180. de hoc Balduini conatu sequens judiciũ fert;
 Franciscus Balduinus J. C. optimis annumeran-
 dus, dum Minutii correctionem pollicetur, non
 tantum meliorẽ non emisit, sed multis etiam in locis
 ab antiqva & verã Minucii scriptura recedens, veri
 correctoris munus non implevit &c. Sed præter-
 quam quod ista censura ipsum textum Minucii at-
 tinet, non Prolegomena Balduini, etiam de veritate
 assertionis hujus fortè dubitatio oriri possit, cum
 ibidem Carrio laudem primitus vindicati Minucio
 Octavii, Junio aperte tribuat, non Balduino nostro,
 contra observationem modo adductum Ouzellii.

Prodierunt Parisiis 1679. in folio Sancti Optati
 Milevitani Opera &c. In his etiam aliqua depre-
 hendi ad Balduinum nostrum pertinentia, & quidem
 XXII. Epistolas duas editione Optati à Balduino olim
 adornate præmissas, unam dedicatorem ad Johan-
 nem

nem Lentallerium, in qua rationem Instituti sui exponit; alteram prolixiozem, ad Johannem Lucanum (id est Calvinum.) Ejus occasio aliquatenus ex
 „ejus initio percipi poterit. Cum hos Optati libros
 „jam emissurus esset librarius, admonuerunt me
 „amici, & familiares quidam mei, non posse me sine
 „reprehensione prætermittere, quod obiter in secunda
 „mea ad te responsione anno superiori pollicitus esse videor, dicturum alias esse me: non posse
 „ex historia judicii, quo Cæcilianus & Donatus
 „conflictati sunt, illud elici, quod tu, (qui non optima
 „fide rem tantam recitare videris) tanta confidentia colligis, & ego aliquando errantem ducem
 „puerili quadam credulitate secutus in meos de
 „Constantino commentarios retuli. Puto Balduinum respicere ad ea, quæ ipse differit p. m. 43. & 44. de legibus Constantini, quod nempe Constantinus appellationem à sententia, quâ Donatus ut Calumniator à Miltiade Episcopo Romano condemnatus erat, suscepit. Id enim in hac epistola ad Calvinum fusè refutare aggreditur. Sunt tamen & alia huic epistolæ immixta & quæ ad controversiam spectant, quæ ipsi cum Calvino intercedebat, de qua mox.

XXIII. Seqvuntur *Annotationes Balduini in libros Optati Milevitani* seorsim editæ, ex ejus, ut ibi dicitur, Commentariis rerum Ecclesiasticarum, à fol. 138. ad 158.

XXIV. Denique etiam adjuncta Optato legitur *Historia Carthaginensis Collationis sive Disputationis*
 de

de Ecclesia, olim habitæ inter Catholicos & Donatistas. Autore Fr. Balduino. Edidit hanc historiam, ut dedicatio testatur, Balduinus 1566. In præfatione multa disputat contra Theodorum (haud dubiè Bezam.)

Hactenus recensui opera Balduini, quæ jam possideo, sequitur ut eos recenseam, quibus adhuc destitutor, quos tamen in Catalogis librorum deprehendi.

I. *Balduini Panegyricque sur le mariage du Roy.* 4. Angers. 1571.

II. *Ejusd. ad leges Majestatis atq; perduellionis.* 8. Paris. 1563.

III. *Victoris Uticensis de Vandalica persecutione libri III. cum prolegomenis & annotationibus Balduini.* Paris. 1569. in 8.

IV. *Balduini de officio pii viri in religionis dissidio, cum Joh. Calvinii Responsione ad ejus convitia & Balduini defensione.* 1562. in 4.

V. *Ej. ad leges de famosis libellis & calumniatoribus ad Calvinum.* Paris. 1562. in 4.

VI. *Ejusd. ad leges de transfugis & desertoribus Epistolæ ad Joh. Calvinum.* in 4.

VII. *Ejusd. responsio ad Calvinum & Bezam de S. S. & Tradit in 8.* Colon. 1564.

VIII. *Ejusd. Responsio ad Georg. Cassandrum.* 8. Paris. 1564.

IX. *Ejusd. Disputatio adversus theses Jacobi Andree de Majestate hominis Christi.* 4. 1565.

X. *Ejusd. avis sur le fait de la reformation de l'Egli-*

l'Eglise avec la response à un Predicant, qui s' à opposé à l'advis sus dit. 8. Paris. 1578.

XI. *Ejusd. Responsio ad Francisci Duareni comment. de minist. Ecclesie & beneficiis. 8. Argent. 1556.*

Horum omnium copiam mihi fieri a vidè desidero, etsi non sim nescius, quosdam horum falso Balduino adscribi. Equidem, quod à n. 4. usque ad 8. recensitos concernit, ad eos pertinent, quæ Desselius in Bibliotheca Belgica p. 224. memorat, dum scripta Balduini recenset. Apologia triplex adversus Jo- an. Calvinum ac Theod. Bezam, quæ fraudes il- lorum erroresq; detegit, quod Balduinum crede- rent autorem libelli de officio pii viri, & publicæ tranquillitatis amantis in hoc religionis dissidio, qui Georgii Cassandri erat. Prima est Commen- tarius ad LL. de famosis libellis & Calumniatori- bus, quem eâ occasione scripsit; altera Responsio edita est Paris. & Coloniae. 1562. 8. ac tertia ibid. 1564. hoc titulo. Pro Fr. Balduino Responsio ad Calvinum & Bezam, cum refutatione Calvini de scriptura & traditione. Et in B. Patris mei MSS. sequentia de hoc dissidio annotata inveni. Anno 1561. Georgius Cassander edidit libellum *de officio pii ac publicæ tranquillitatis verè amantis viri in hoc religionis dissidio.* Contra hunc librum primus scripsit Calvinus, ratus Balduini id opus esse. In- didit verò libello suo titulum: *adversus versipel- lem moderatorem*, in eoq; Balduinum aucto- rem fecit libelli memorati. Cumq; Balduinus edito

edito scripto ad legem de famosis libellis inficiatione
 Calvini accusationem refelleret; Calvinus alio
 edito libello, quem inscripsit: *Responsiones ad
 Balduini convitia* eò confugit, ut diceret, libellum
 non ab uno esse conscriptum, sed partim à Baldui-
 no, partim à Cassandro, cui respondit postea Cas-
 sander in libro, cui inscriptio: *Traditionum ve-
 teris Ecclesiae & Sanctorum Patrum defensio, adver-
 sus Job. Calvinii importunas criminationes*, quam
 tamen primo ficto nomine *Veranii Modesti Paci-
 montani* ediderat. Hæc ex MSS. Patris. Cæterum
 & Beza quædam adversus Balduinum edidisse sub
 titulo: *Posiaca velitationis*, svadet Præfatio Baldui-
 ni ad Historiam Collationis Carthaginensis, ubi hu-
 jus Posiacæ velitationis mentionem facit. Mallem
 adeo non solum Balduini, sed & Calvinii, Bezæ, &
 Cassandri scripta hanc controversiam concernen-
 tia inspiciere.

Ad scriptum n. 10. respexit haud dubiè Desse-
 lius. p. 225. ubi simul quædam de scripto n. 11. mo-
 net. Denique, ait, in causa reformationis Ec-
 clesiae informationem quandam Gallicè scripsit,
 cum Apologia, adversus calumniatorem, qui no-
 mine & titulo Principis alicujus Galliae se se præ-
 dictæ informationi opposuit. Paris. apud Nic.
 Chesneau. 1578. 16. Legitur & Franc. Balduini no-
 mine, Argentinae editus libellus, titulo Christia-
 norum Juris Consultorum contra Duarenum, sed
 suppositio, uti in Apologiis ipse affirmat. Sed hoc
 non

non obstante & istud scriptum aduersus Duarenum perlastrare cupio.

Scilicet ut tandem ad editionem, quam meditor, transeam, constitui operibus Balduini præmittere vitam ejus, in qua non summam, uti autores eulogiorum solent, de eo dicturus sum, sed fusè & ut vellem Vitas eruditorum ab aliis conscribi; de ejus ætate, quam in scholis transegit, paucissimis: tum de origine & incremento doctrinæ & eruditionis ipsius, de libris, quo ordine quæve intentione ab ipso sunt editi, de moribus ejus, de variâ ejus fortunâ, de aduersariis, de Præceptoribus, Patronis, collegis, discipulis &c. Aliorum elogia Balduino dicta vel vitæ inseram, vel etiam post dissertationem de vita separatim adjiciam, prout convenientius videbitur. Ipsa opera secundum eum ordinem, quo ab ipso scripta sunt, collocabo, singulaq; in capitula certa subdividam, his verò summaria præfigam: Græcis interpretationem adjungi & deniq; ir dice locupletissimo opus adornari curabo. In specie annotationes ad instituta quod attinet, differentiam prioris & novissimæ editionis per modum scholiorum annotabo. Interest enim eruditorum, etiam scire, quas sententias Vir Doctus antea defenderit, ac postea meliora edoctus dereliquerit. Deinde quantum ad Commentationem ad Leges XII. Tabularum attinet, tertiam illam & emendatam editionem exhibebo. Quid cum Herdesiana facturum sim, quæ planè, ut supra monui alia est, nondum de-

ter-

terminavi. Sed vel eandem integram per modum
 appendicis operibus subjungam, vel excerpta eo-
 rum, quæ in renovata editione omiffa sunt, aut ali-
 ter dicta, ibidem exhibebo, vel certe in Dissertatione
 de vita Balduini, ubi ad hunc librum perventum erit
 summaria ejus paulo distinctius proponam.

Ast hæc omnia, sine Vestro subsidio, *Fautores*
Optimi Maximi, vix præstare potero. Agite
 igitur, & si libros Balduini & adversariorum ejus su-
 præ desideratos aut fortè adhuc alios, quorum ne ti-
 tulus quidem ad me pervenit, in Bibliothecis Ve-
 stris deprehenditis, liberaliter eosdem mecum com-
 municate, ea verò quæ ad Vitam Balduini eo modo
 quem delineavi describendam, pertinent, & in qui-
 bus me dubium esse in Epistolâ professus sum (ma-
 ximè verò: An Balduinus separatim ediderit com-
 mentarios rerum Ecclesiasticarum propter ea quæ
 dixi n. 23.) haud gravatim per literas, & duobus,
 quod ajunt, verbis, mihi cognita facite. Promove-
 bitis hoc ipso commodum publicum, & operam da-
 bo sedulo, ut non tantum debito præconio eos, qui
 hac in re honestissima suppetias mihi tulerunt, & la-
 turi sunt, in ipsa editione afficiam, sed &, ut justo
 redhostimento illis, qui Codices suos ad hanc edi-
 tionem communicabunt, faciam satis, atque quibus-
 vis officiis meam ipsis inserviendi promittudinem
 rursus declarem, id adhuc rogitans, ut, qui in exteris

oris degunt, haud gravatim per suos bibliopolas
Codices ad me destinatos ad Virum optimum, Mau-
ritium Georgium Weidmannum, transmitti curent.
Deus Vos tervet. Dabam Lipsiæ d. 7. Octobr.
1689.

P. S.

ADhuc tria verba. In Antonii Foqve-
lini prælectionibus Aurelianis ad ti-
tulos de V. & P. S. p. 184. seq. Ed. Lugd.
B. 1686. ista lego; Hic quæri solet: Quæ
vis sit illius militaris in hac quæstione
privilegii, an ut substitutio facta filio et-
iam post pubertatem directo jure valeat:
An verò ut fideicommissi tantum jure
sustineatur, & directa verba pro infle-
xis militis favore accipienda sint? Qua
de re variæ sunt opiniones interpretum,
inter quos quoniam quidam magna &
sublimi quâdam eruditionis & doctrinæ
opinione inflatus,

Lan-

„ *Languentis ævo cardui ut pappus tu-*
mens,
 „ de ea nescio quid tumultuariè, ut solet, ex
 „ aliis suffuratus in suas *νυβίας δόξας* retulit,
 „ facile patior oblatum mihi esse tempus,
 „ in quo supinam hominis ignorantiam in
 „ ipsisqve juris principiis cæcitatem dete-
 „ gerem, notandisqve ejusdem plagis, hoc
 „ qualecunqve rudimentum ponerem.
 „ Sic enim illum existimare volo, me, ubi
 „ sum, cum ejus inscitia & barbara qua-
 „ dam stoliditate pugnaturum: mores
 „ tamen atqve vitam, quæ civibus illum
 „ suis tyranno quovis infensorem reddit,
 „ *Balduino*, à quo uno ut ab Apelle Ale-
 „ xander pingi meruit, describendam re-
 „ licturum. Et iterum p. 194. Quod etiam
 „ vel ab Accursio suo discere & cognosce-
 „ re potuit, nisi vesana quædam gloriæ
 „ cupiditas, quæ eum transversum rapit,
 „ incredibilem ejus glossarum contem-
 „ ptum & inplacabile cæterorum juris in-
 „ terpretum fastidium in ejus animum
 „ jam pridem induxisset. Qvi tamen, ni-

polas
 Mau-
 rent.
 obr.
 ve-
 l ti-
 gd.
 væ
 one
 et-
 at:
 ure
 le-
 va
 m,
 &
 næ
 m-



„si illi praeluxissent (ut Democrito & Epi-
 „curo dicebat Metrodorus) ne parum
 „quidem illud, non dicam eruditionis &
 „doctrinae, sed ne nominis atque famae,
 „quod immortalitati comparat, fuerit
 „consecuturus, ut mirari satis non possim,
 „cur illis tametsi semibarbaris homini-
 „bus, de jure tamen Civili optimè meri-
 „tis, quotidie tam vehementer succenseat.
 „Nisi forte Philopenum Euripidis fili-
 „um & Gnatonem Siculum obsonato-
 „res nobiles imitatur, nasi mucum e-
 „mungere in catinum solitos, quo reli-
 „quis convivis deterritis ipsi soli cibis
 „appositis explerentur. His enim arti-
 „bus ita astute jamdiu nimium credulis
 „adolescentibus imponit, & illos sua celat
 „plagia, ut, cum se ferè unum ex suggestu
 „pro omni auctore laudat, omnes autem
 „juris interpretes cavillis ac dictariis po-
 „tius, quam firmis rationibus insectatur,
 „adolescentium animos ab eorum lectio-
 „ne revocet. Sed & hoc, quod nemo bo-
 „nus & æquus ferre possit, ab ea fieri so-
 „litum

„litum improbius: quòd cum fucum su-
 „um, suaqve plagia ab aliis detegi, & se de
 „suprema sua sede deturbari metuit, do-
 „ctissimos & integerrimos quosque vi-
 „ros, quibus adulatoribus & amicis uti
 „non potuit, & quos in arte sua paulò
 „oculatiores vidit, omni vexationis &
 „calumniæ genere abs sese abigere libidi-
 „nosissime studuerit, imperitum illum pi-
 „ctorem secutus, qui quod gallos galli-
 „naceos infeliciter pinxisset, puero man-
 „dabat, ut veros gallos à tabula sua pro-
 „cul arceret. Quem enim post viginti
 „annos in schola sua, non dicam juris co-
 „gnitione clariorem, sed etiam eloq ven-
 „tiæ aut cujusvis alterius disciplinæ glo-
 „ria commendatiorem, quietum & à li-
 „vidis maledicentiæ suæ morfibz impu-
 „nem reliquit? Mitto enim Balduinum,
 „mitto Cujacium, mitto Contium, Deus
 „bone quales viros? Loriotum verò, Ba-
 „ronem, Stratium, ejus luminibus jam
 „inde obstruentes quibus artibus ever-
 „tere, dejicere, affligere conatus est?

C 3

Jam

Jam quis iste? Contius esse non potest, quia Contius inter ejus adversarios ponitur. An forte Corasius? Sane hunc multorum plagiorum quamvis sub Coracis nomine infimulat Duarenus peculiari epistolâ. Confer. *Patris tractatum de Plagio*. An alius? Mallem enim dum Vitam Balduini expono, Jctorum coætaneorum simul vitas non describere quidem, sed tamen illustrare.





AP

125

112 = 67 $\frac{13}{15}$

1000





AD FAUTORES
Jurisprudentiæ atqve Hi-
storiæ
EPISTOLA
CHR. THOMASII.
J. C. Lips.
De novâ editione, quam parat,
Operum
FRANCISCI BALDUINI,
J. C. Atrebatii.



LIPSIÆ,
Apud Mauritium Georgium Weidmannum.
1689.

